

ceptu præciso a personalitatibus operatur ut quod, et consequenter neque existit ut quod.

Confirmatur a simili, quia sicut hic Deus significatur in concreto ut habens deitatem, ita hic spirator ut habens vim spirandi, sed ly spirator non affert propter hoc subsistentiam seorsum a subsistentia relativa, sed subsistit in subsistentia Patris et Filii: ergo neque hic Deus.

Confirmatur secundo: nam D. Thomas III p. q. II, art. II, probat naturam humanam debere uniri in persona, et non in natura, quia non datur medium inter naturam, et personam; et sic si unio non est facta in natura divina, quod est facta in Persona. At si datur subsistentia absoluta, hæc ratio est inefficax, quia potest fieri unio, nec in Persona, nec in natura, sed in illa absoluta subsistentia: ergo vel ratio D. Thomæ qua probat veritatem catholicam, est vana, vel debet negari subsistentia absoluta. Et in I, distinct. XXVI, quæst. I, art. II, dicit, quod: « Remota relatione non manet subsistens relationi. » Et sic concludit ad quartum quod: « Remota relatione neque Pater est quis, neque Filius est quis. » Si autem natura divina secundum se esset subsistens, utique subsisteret relationi, non autem relatio primo, et per se subsisteret, sed adveniret subsistenti.

Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicitur, quod divina essentia præintellecta Personis non generat nec operatur ut quod notionaliter, sed operatur ut quod essentialiter, sicut intelligit, amat, creat, providet, etc. quia ad istas actiones non requiruntur per se Personæ relativæ, sed hic Deus ut subsistens operatur, et ut unus, concomitanter autem ut trinus. Non est autem necesse ad hoc ut hic Deus

sit subsistens, quod operetur ut quod, etiam notionaliter, sufficit quod operetur essentialiter. Nam ad operationem notionaliter requiritur non solum virtus operandi, nec solum principium quod quomodocumque, sed oppositum correlative suo termino procedenti, si quidem debet producere aliquid distinctum ad intra, nec potest distinctum esse nisi per oppositionem relativam.

Ad primam confirmationem respondetur non esse simile, quia ly hic spirator non importat ipsam naturam, et esse absolutum Dei, sed potentiam, seu principium spirandi, quod pertinet ad actionem notionaliter. Unde non potest subsistere nisi notionaliter, non absolute. Subsistentia autem notionalis non datur, nisi sit Persona; et sic ly spirator non potest per se habere subsistentiam seorsum a Patre, et Filio, quia non est Persona relativa per se, et consequenter neque subsistentia relativa. At ipsa natura, et esse, per se, et ratione sui dicit esse independens, et non in alio; et sic potest subsistere subsistentia non relativa, neque notionalis, sed absoluta, licet communicabili, ut dictum est.

Ad secundam confirmationem respondetur D. Thomam non facere illam consequentiam, sed hanc: Natura humana unita est Verbo secundum fidem catholicam: sed non est unita Verbo in natura: ergo in Persona, quia in Verbo non est aliud quam personalitas, et natura; et ita si in natura ei non utitur, debet uniri in Persona. Quare D. Thomas non procedit absolute ex negatione unionis in natura divina, quod unio debeat fieri in Persona, sed supponendo ex fide unionem factam Verbo, discurrit, et probat evidenter quod si non est facta in natura Verbi, est facta in Persona, quia in Verbo non sunt nisi ita duo, personalitas et natura. Nec dicit S. Tho-

mas non dari medium inter naturam abstracte sumptam, seu ut quo, et Personam, et quando id diceret, et intelligeretur de medio secundum rem, et tamquam quid distinctum: nam subsistentia absoluta non distinguitur a relatione.

Ad secundum locum respondetur, quod remota relatione, non remanet subsistens relationi, id est, subsistens suppositaliter, et per modum hypostasis, ut ibi dicit: ratio enim hypostasis dicit incommunicabilitatem, sicut persona; sine relatione autem non datur incommunicabilitas et remota relatione, Pater non est quis, neque Filius, quia tunc non manet Persona Patris, aut Filii, quæ relatione constituitur, sed manet hic Deus, et ille erit quis tamquam subsistens subsistentia absoluta, non quis tamquam Persona, et ut Pater.

ARTICULUS III.

Utum sint ponendæ in Deo quinque notiones, quatuor relationes, et tres proprietates?

I. Notiones sunt quæ pertinent ad dignoscenda, et distinguenda ea quæ relativa, et personalia sunt in Deo. Unde oportet videre quæ, et quid sint istæ notiones, et quomodo de eis loquendum, prælibando tamen prius, quomodo a nobis Trinitatis mysterium possit cognosci.

EX NATURALIBUS EFFECTIBUS EST INCOGNOSCIBILIS TRINITAS.

II. Ut tractet D. Thomas quæstione XXXII, de notionibus quibus distinguimus, et discernimus in Deo relativa ab essentialibus, et Personas inter se, præmittit, quomodo mysterium Trinitatis a nobis cognosci-

bile sit per naturales rationes. Dicuntur autem naturales rationes illæ quæ deducuntur ex effectibus ordinis naturalis. Ex effectibus autem supernaturalibus deduci possunt rationes altiores, quæ si discursu nostro acquisitæ sint, pertinent ad theologiam. Solet autem agitari ista quæstio de mysterio incarnationis ad quæstionem primam in tertia parte, et quæ ibi dicuntur procedunt communiter respectu omnis entis supernaturalis. Specialiter autem in præsentia, quia hoc mysterium non est aliquid factum, sed increatum, et intra Deum, est difficultas, an per aliquem effectum manifestari possit, sive naturalem, sive supernaturalem. Et quidem de effectu supernaturali, sicut est visio Dei actus fidei quo creditur Trinitatis mysterium, et aliis similibus, solet id disputari tertia parte, quæstione undecima ubi agitur, an Christus per scientiam infusam cognoverit evidenter mysterium Trinitatis quoad an est. Nec aliud in præsentia tractari potest, quam de cognitione huius mysterii quoad an est: quidditative enim evidenter non potest attingi, nisi per visionem claram Dei.

III. Supposita distinctione data quod aliqui effectus sunt naturales, alii supernaturales, adhuc isti effectus supernaturales possunt considerari dupliciter. Primo, ut præcise sunt effectus, et respiciunt omnipotentiam Dei ut causam efficientem, eamque terminant. Secundo, ut respiciunt Deum tamquam objectum, et causam formalem specificantem, sicut visio beata respicit Deum ut objectum specificativum suum, non solum ut est unus; sed etiam ut est trinus; et fides respicit idem objectum ut proprium, et immediatum; et unio hypostatica, quæ facta est, respicit Personam relativam Verbi ut terminum unitum.

IV. Dico ergo nullum effectum, neque naturalem, neque supernaturalem in vi effectus, et secundum respectum ad Deum, ut ad causam efficientem, posse manifestare nobis nec evidenter nec probabiliter mysterium Trinitatis, etiam quoad an est. At vero aliqui effectus supernaturales possunt manifestare evidenter mysterium Trinitatis quoad an est per connexionem necessariam cum ipso tamquam cum objecto, aut extremo unito, sicut visio beatifica, quæ respicit Trinitatem ut objectum, unio hypostatica, quæ respicit Personam ut extremum unitum. Facta autem revelatione hujus mysterii, et congruentiis illius cognitio, bene potest aliquis ex motivo naturali, relicto supernaturali, circa hoc mysterium duci, sicut circa alia supernaturalia.

Tres partes habet hæc conclusio.

V. Et prima, videlicet nullum effectum in vi effectus posse manifestare hoc mysterium, sumitur ex D. Thoma hic q. xxxii, art. i.

Et probatur, quia nullus effectus habet connexionem in vi effectus cum Personis divinis prout distinctis inter se relative, sed prout sunt unus Deus absolute: ergo non potest manifestare hoc mysterium. Consequentia probatur, quia nullus effectus potest manifestare suum principium et causam nisi ratione alicujus connexionis cum illo, quia effectus ejus est, et ab eo procedit, reliqua omnia cum quibus connexionem non habet, non potest manifestare quantumcumque alias sit connexum cum sua causa, illique conveniens, sicut effectus procedens ab artifice, v. g. domus ab ædificatore, potest quidem manifeste artem a qua procedit, et hominem in quantum artificem, sed non potest manifestare alia accidentia ipsius non pertinentia ad talem artem, v. g. an fuerit talis artifex

albus vel fuscus, parvæ vel magnæ staturæ, pinguis an gracilis, indutus veste rubea vel viridi; totum hoc per talem effectum non est manifestabile, quia licet processerit ab artifice habente tales conditiones, et accidentia, quia tamen non procedit ab illo ratione talium accidentium, nec connexionem habet cum illis, non manifestat illa. Antecedens vero probatur, quia nullus effectus procedit ad extra, nisi per potentiam Dei creativam, et artem Dei, seu ideas: ergo solum connectitur, et respicit Deum ut creatorem, et artificem; esse autem Deum creatorem, et artificem cujuscumque effectus etiam supernaturalis, est commune omnibus Personis divinis, quia procedit per attributum commune, quod est omnipotentia, et ars, per intellectum ut dirigentem, et potentiam ut exequentem: ergo non potest manifestare aliquid in quantum effectus, seu in quantum procedens a Deo, ut ab efficiente, nisi commune tribus Personis, quia solum procedit ab eo quod commune est; ea vero quæ sunt distincta, et propria in Personis, manifestare non potest. Itaque Personæ ut distinctæ, et correlativæ inter se non influunt in creaturas, quia non ut correlativæ sed ut creativæ respiciunt creaturas: ut correlativæ enim solum ad invicem se respiciunt, quatenus una est principium, et alia ex principio. Quod vero respiciant creaturas, et quod influant in creaturas, non habent per respectus ut oppositos, et distinguentes inter se, sed ut sunt unum in creando, et operando ad extra. Non ergo effectus ad extra procedens habet connexionem cum relationibus personalibus, ut ad intra oppositis, et distinctis, quia esse distinctos nihil conducit ad influendum ad extra.

VI. Dices: Etiam Spiritus sanctus procedit a Patre, et Filio, ut sunt

unum principium spirandi, et tamen qui cognosceret vim spirativam, deberet cognoscere duas Personas, in quibus vis spirativa est: ergo similiter licet creaturæ procedant a tribus Personis, ut sunt unum principium creandi, tamen qui cognosceret istam vim creandi, cognosceret Personas in quibus est. Sed contra, quia vis spirativa licet sit una in Patre et Filio, tamen ex sua formali ratione, et proprio caractere requirit distinctionem Personarum, quia procedit Spiritus sanctus ex Personis, ut se mutuo amantibus, licet unico amore, quia procedit ex amore amabili, qui requirit plures personas reciproce se amantes. At vero virtus creativa non est notionalis, sed pure absoluta, nec requirit pluralitatem Personarum, etiam ut conditionem intrinsecam ad creandum, licet concomitanter se habeant tres Personæ, sed non influunt, aut cum connexionem per se cum creaturis procedentibus, quia præcise procedunt ab eo quod absolutum est.

VII. Instabis: In sententia eorum qui dicunt in Deo non esse aliquam subsistentiam absolutam, nisi tres relativas, et deitatem secundum rationem absolutam solum se habere ut principium quo, non ut quod, creaturæ non procedunt a natura divina tantum, sed etiam a Personis, quia procedunt a Deo, non solum ut principio quo, sed etiam ut a principio quod. Effectus autem non solum de se manifestant causam suam ex parte principii quo, sed etiam ex parte principii quod. Ergo si in Deo principium quod non est una solum Persona communis, quia non datur, sed tria supposita, et tres Personæ relativæ, effectus procedentes a Deo tales Personas manifestabunt, quantum est de se, licet nos de facto non cognoscamus hanc manifestationem, tum

quia valde occulta est, tum quia ex æquo convenit tribus Personis, nec unam seorsum et distincte ab alia manifestat: sicut etiam multa alia occulta Dei judicia, imo et causarum creaturarum rationes, ut cogitationes cordis, et alia similia non cognoscimus, licet per effectus manifestabilia sint.

Respondetur quod quidquid sit de illa sententia negante subsistentiam absolutam, tamen certissimum est quod in Deo dantur veræ et reales operationes, seu actus habentes sufficienter principium quod, et quo, independentem a tribus Personis, sicut hic Deus amat, et intelligit, Pater generat, Filius, et Pater spirant, nec tamen istæ actiones procedunt a tribus Personis. Similiter est certum quod in ordine ad creandum tantum virtutis, et potentiæ habet una Persona, quantum omnes tres simul, unde ad constituendum principium quod creandi, sufficit una Persona, nec magis confert concomitantia trium. Concedimus ergo quod effectus manifestant de se principium quod a procedunt, sed sub eo modo quo conducit, et confert ad talem processionem, et non amplius. Dato ergo quod non sit subsistentia absoluta, tamen quia ut operationes, et processionem dentur a Deo, non requiritur concursus trium Personarum, sed sufficit hic Deus, vel aliqua Persona, quia una sola habet totam vim producendi, et sufficientem rationem subsistentiæ, et principii quod; et sic reliquæ ex vi talis processionis non manifestantur: sicut si ego evidenter scirem aliquem effectum procedere ad hominem, ut vidente, seu audiente, non tamen ex hoc præcise potero colligere quod videt duobus oculis, vel audit duabus auribus, quia etiamsi unum claudat, æque bene videt.

VIII. Ex quo sequitur male Vasquez in præsentis disputatione cxxxii,

cap. i, affirmare contra D. Thomam in hac quæstione xxxii, art. i, aliquos philosophos cognovisse hoc mysterium: et omnia testimonia quæ adducit, nihil aliud significant, quam quod D. Thomas ex Aristotele, Platone, et Trismegisto in primo argumento, articulo primo, adducit, et solvit, ostendens non fuisse philosophos illos locutos de ipsis Personis, et processionibus divinis, sed de quibusdam attributis, quæ Personis appropriantur, et fere semper locuti sunt de processionibus ad extra, et circa creaturas, non ad intra et circa Personas, nec unquam assecuti sunt ex naturali discursu unam essentiam in tribus distinctis Personis, sed si plures Personas distinxerunt, etiam et naturas. Unde non tam cognoverunt, quam erraverunt circa hoc mysterium divinæ generationis; erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. Si quid vero cognoverunt ex Sacra Scriptura, quam aliqui eorum legerunt, accepta fuere. Certe Paulus i ad Corinth. ii, dicit: *Se loqui sapientiam in mysterio, quam nemo principum hujus sæculi cognovit; nec videtur aliquod esse augustius, et occultius mysterium, quam hoc, atque adeo minus cognitum est a principibus hujus sæculi, qui, ut inquit glossa, sunt philosophi, principes utique sæcularis doctrinæ, aut si sæculi principes sunt dæmones, et ipsi ex naturali lumine mysterium hoc non cognoverunt, multo minus philosophi.*

IX. De possibilitate hujus mysterii positiva, idem dicendum est quod de ipsa existentia, seu de an est illius. Nam si hoc mysterium possibile est Deo, utique de facto est, quia quidquid Deo est possibile, de facto ei convenit, si intra ipsum esse debet. De possibilitate negativa, scilicet quod non implicet contradictionem hoc mysterium, idem dicimus quod non potest naturali ratione de-

monstrari, quia hoc supponit notitiam ipsius mysterii, quomodo enim ostendi potest non implicare nisi cognoscendo prius famam ejus, et an est ipsius? Hoc vero ex nullis effectibus per naturalem rationem haberi potest. Et quidquid non implicat in Deo, perfectio debet esse, atque adeo ei convenire. Et sic perinde se habet possibilitas negativa, et positiva.

X. Secunda pars conclusionis, scilicet quod per effectus supernaturales habentes connexionem cum Personis, vel cum aliqua Persona Trinitatis, quatenus respiciunt illam pro objecto, vel pro extremo unito intelligitur, quando ipsi effectus supernaturales evidenter cognoscuntur in se, ut si videatur, seu cognoscatur in se quidditative ipsa visio beata, qua videtur hoc mysterium. Et ita in hac parte est duplex sententia. Altera negat etiam per istos effectus posse cognosci evidenter mysterium Trinitatis, etiam quoad an est, eo quod non habet connexionem per se cum Trinitate tamquam effectus vel causa ejus. Quam sententiam sequitur Torres 2-2, disput. ix, dub. i, ii et iii. Et idem videtur sentire p. Vasquez hic disput. cxxxv, cap. iv, et in iii p. disput. lxxx, capite i, num. v et vi. Sed tamen ejus mens sic explicatur a p. Alarcon hic tract. v, disput. i, capite v, num. ix, quod non absolute neget mysterium Trinitatis non posse cognosci ex evidenti et clara notitia visionis beatæ, aut revelationis mysterii Trinitatis, sed negat dari posse evidentem notitiam hujus visionis, aut luminis gloriæ, et similem effectuum, quibus quidditative attingitur Deus trinus in se, nisi Deus ipse videatur in se: eo quod non potest quidditative cognosci ista visio, nisi judicetur esse conformis suo objecto: ergo si ipsa videtur ut quidditative attingens Deum in se, et videtur ut con-

formis suo objecto, necesse tale objectum quidditative videri, quia illi ut quidditative est in se, conformatur talis visio. Quod secus est de actu fidei, quo credimus Deum esse trinum, quia licet certus sit ita quod ei non potest subesse falsum, tamen non repræsentat Deum ut in se est; et sic ut judicetur conformis suo objecto, non est necesse videre illud intuitive in se, sed sufficit aliunde constare quod Deus trinus est. Altera sententia affirmat per hos effectus posse cognosci evidenter mysterium Trinitatis quoad an est, et de facto habuisse Christum evidenter de illo quoad an est per scientiam infusam. Quod communiter tenent Thomistæ ad tertiam partem, qu. xi, ibi pater Suarez disp. xxvii, sect. iii et v, Arrubal hic disp. cxvi, c. iii et iv.

XI. Nos de hac difficultate hic latius tractanda supersedemus, in eo loco tertiæ partis de ea acturi. Solum advertimus pro explicatione hujus secundæ partis conclusionis, quod absolute negari non potest, ex talibus effectibus evidenter cognitis, ipsum mysterium Trinitatis, quoad an est, evidenter deduci. Quod patet, quia est necessaria connexio inter illum actum visionis Dei, et mysterium Trinitatis, quod est ejus proprium, et immediatum objectum: ergo non potest salvari ratio formalis, et specifica talis actus, nisi detur tale objectum: ergo qui cognoscit evidenter, et quidditative talem actum, cognoscit evidenter dari tale objectum, quia ad illud objectum tendit, et ab illo specificatur, sicut etiam qui cognoscit aliquam speciem vel repræsentationem, cognoscit ibi contineri rem repræsentatam, quæ est objectum ejus; et sic evidenter cognoscit dari tale objectum, si videt repræsentationem aut specificationem factam a tali objecto in ipso actu. Nec est necesse ad

hoc quod cognoscatur aliquid evidenter, quoad an est, quod cognoscatur per medium quod sit causa vel effectus ejus, sufficit quod interveniat necessaria connexio, ita quod hoc sine illo dari non possit; sic enim evidens est illud dari, licet non cognoscatur quidditative, sed solum quoad an est. Unde in mathematicis fiunt multæ demonstrationes evidentes per media, quæ non sunt causa, vel effectus, sicut probatur super quamlibet lineam rectam posse fieri triangulum æquilaterum, quia possunt ab extremitatibus cujuscumque lineæ recte deduci duo circuli se contingentes, et lineæ ab eorum centris ductæ erunt æquales inter se. Concursus autem duorum circulorum circa aliquam lineam neque est effectus, neque causa ejus, vel trianguli. Certe si tota vis demonstrationis nititur in connexione necessaria extremorum, quomodocumque inveniatur ista connexio, demonstratio fiet, quia cogetur intellectus uno dato, alteri assentiri. Ubi autem intellectus cogitur, ibi est necessitas, et connexio veritatum. Præterquam quod objectum respectu actus habet vim causæ, quia se habet ut specificativum ejus, quod pertinet ad causam formalem extrinsecam.

XII. An vero possit dari evidens, et quidditative cognitio istorum effectuum supernaturalium, v. g. luminis gloriæ, visionis beatificæ, unionis hypostaticæ sine visione clara ipsius Dei, et in homine pure viatore, certe in hoc ergo nullam video implicationem: nulla enim creatura datur, quæ sui ipsius copiam intellectui facere non possit, et sit intime, et quidditative agnoscibilis, ut est in se per aliquam speciem, et lumen proprium, saltem supernaturale extra visionem Dei. Si ergo ratione suæ creatæ entitatis, intelligibilis est per propriam spe-

ciem, et intelligibilitatem suam, atque adeo quidditative, et evidenter, et hanc entitatem habet distinctam ab ipso Deo in se, cur non poterit cognosci in se quidditative, non viso Deo in se, sed prout continetur in tali effectu, scilicet in ipsamet visione, aut revelatione?

XIII. Quod vero dicitur necesse esse videre illud extremum cui conformatur visio, ut iudicetur illi esse conformem, frivolum est. Ad iudicandum enim quod detur tale objectum, et quod illud sit objectum talis visionis, sufficit videre objectum, non seorsum in se, sed ut contentum in tali actu, seu effectu: ex hoc enim plane constat ejus esse objectum, et debere dari tale objectum, ut vere, et non fecte versetur circa illud, sed tamen non est necesse videre objectum ipsum in se, sed sufficit aliunde cognoscere quod ille actus visionis est intrinsece verus, et certo atque evidenter non fecte versatur circa suum objectum; et sic videndo quod objectum illud ut contentum, seu attactum a tali actu, licet non in se, plene iudicatur tale objectum dari in se, sicut ibi continetur, nec oportet objectum ipsum in se videre, sed colligere per discursum dari in re, quia continetur, seu attingitur a tali actu, et actus ille verus est, quod totum sine visione rei in se potest attingi: sicut Angelus cognoscere potest virtutem solis ad producendum aurum, etiamsi nullum aurum videat in se, et virtutem oculi ad colores videndos, et lucem, etiam antequam sit producta lux, vel color, quia videt illa objecta ut contenta, seu attacta ab istis potentiis, et in proportione earum ad illa.

XIV. Dices: In Deo esse ipsum est quidditas: ergo si evidenter cognoscitur esse Trinitatis, seu Trinitas quoad an est, cognoscitur quidditas Trinitatis evidenter, eo utique

modo quo cognoscitur esse, si abstractive, abstractive; si intuitive, intuitive.

Respondetur quod si argumentum aliquid probaret, etiam probaret quod ex effectibus naturalibus ex quibus cognoscimus essentiam Dei ut unam, etiam cognosceremus Deum quidditative, quia ejus esse est ejus quidditas. Eodem ergo modo nos respondemus quod esse Dei, est ejus quidditas prout est in se. Ut autem manifestatur in effectibus ejus esse, sic manifestatum quoad an est, et imperfecte atque connotative non est quidditas Dei. Itaque si manifestaretur esse Dei perfecte, ut est in se, etiam manifestaretur quidditas Dei, et quidditative manifestaretur: at vero esse Dei manifestatum imperfecte, et prout in effectibus, non manifestat ipsam quidditatem divinam in se. Bene tamen ex tali esse sic imperfecte manifestato, potest quidditas Dei quoad essentiam vel quoad Personas imperfecte, et per alienas species, et connotative manifestari, sicut nos ratione naturali discurremus circa attributa, et quidditatem Dei; sic qui cognosceret Trinitatem evidenter quoad an est, etiam circa quidditatem relationum, et processionum posset discurre, sed non quidditative in se cognoscere.

XV. Tertia pars conclusionis, scilicet quod facta revelatione potest aliquis naturali discursu probabiliter de isto mysterio cognoscere, a nemine videtur negari posse. Tum quia dæmones credunt, et contremiscunt, quia scilicet non ex pro affectu, sed indicibus, et signis quoad credulitatem coacti, quasi tremantes credunt, non quidem fide supernaturali, sed naturali; tum quia hæreticus non credens alios articulos, et credens Trinitatis mysterium, non credit fide supernaturali, et tamen assentitur huic mysterio; tum quia

potest aliquis paganus legens vel audiens hoc mysterium, et quomodo in Ecclesia tenetur, et explicatur, assentiri ipsi, ductus congruentiis, et explicationibus, quæ de ipso dantur, et tamen non assentiri ex fide supernaturali, nec ipsam fidem, et religionem christianam acceptare ob alios fines. Sed de his latius in materia de fide.

DIFFICULTATES CIRCA NOTIONUM, ET
RELATIONUM NUMERUM.

Circa numerum notionum, relationum, et proprietatum duæ sunt difficultates.

Prima, circa numerum notionum, an sint solum quinque.

Secunda, circa relationes an sint vere, et in re quatuor relationes reales.

XVI. Circa primam, communiter designantur a theologis quinque notionem, quatuor positivæ, et una negativa. Positivæ sunt paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva. Negativa est innascibilitas, seu esse ingenum. Dicuntur notionem, quia istis quinque nominibus, seu notis specialiter discernimus, et dignoscimus Personas. Paternitas convenit soli Patri, et filiatio soli Filio: spiratio activa utrique Personæ, Patri, et Filio, quia utraque spirat Spiritum sanctum; spiratio passiva soli Spiritui sancto; innascibilitas convenit soli Patri, seu esse ingenum, quia hoc nomine non solum significamus exclusionem generationis, et nativitatis, sed omnis processionis ab alio. Et hoc modo est proprius character, et notio Patris, seu primæ Personæ.

XVII. Hinc ortus est scrupulus Scoti in 1, dist. xxviii, qu. 1 ad iii, cur etiam inspirabilitas, quæ significat negationem procedendi tali modo, scilicet per spirationem non

sit notio, quæ conveniat duabus primis Personis, quæ non procedunt per spirationem: sicut enim pertinet ad dignitatem primæ Personæ, quod nullo modo procedat ab aliquo, ita pertinet ad dignitatem primæ, et secundæ, quod non procedant tali modo, scilicet per spirationem: cur ergo non erit notio inspirabilitas, sicut innascibilitas. Quod si innascibilitas sumatur pro sola negatione generationis, et nativitatis, utique non erit propria solius Patris, sed etiam Spiritus sancti quia non convenit ei generari, et nasci. Ad hæc, sicut est dignitas Patris non procedere ab aliquo, ita est dignitas Spiritus sancti non producere aliquam Personam: ergo esse improductivum, erit notio Spiritus sancti. Tertio, plura alia nomina sunt designativa Personarum, tum quoad origines, tum quoad Personas. Nam generatio, et nativitas significant originem, et possunt designare Patrem generantem, et Filium nascentem: cur ergo non erunt notionem? Similiter nomen Verbi, et nomen imaginis in Filio, nomen domini, et nomen amoris spirati in Spiritu sancto sunt nomina notionalia, et designant Personas. Cur ergo non erunt notionem? Denique, oportet explicare in ipsa notione negativa innascibilitatis quid formaliter significet, an positivum, an negativum. Nam si est sola negatio, non discernit, nec innotescere facit aliquid de Persona. Si est positivum, oportet explicare quid sit, an aliquid absolutum, et tunc non est notio, sed aliquid omnibus commune, an aliquid relativum, et tunc erit idem quod paternitas.

XVIII. Circa secundam difficultatem, illud commune occurrit, quomodo sint quatuor relationes reales, si non sunt quatuor res relativæ: multiplicato enim inferiori, necesse est multiplicari superius, sicut mul-